

I. N. S. C.
 DISSERTATIO,
 HYPOMNEMATA QUÆDAM
 IN
**CHRONICON
 EPISCOPORUM**
 ABOENSIUM,
 A
PAULO JUSTEN
 CONSIGNATUM CONTINENS,

Cujus PARTEM POSTERIOREM
Conf. Ampliff. SENATUS Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,
 PRÆSIDE

**MAG. JOHANNES
 BILMARK,**

Histor. ac Philosoph. Pract. PROFESSORE Ordin.
*Pro summis in Philosophia honoribus obtinendis
 Placide ventilationi submittit*

ELIAS REINHOLD. BERGSTADIUS,
 Tavastensis.

In AUDITORIO MAJORI Die XXVII Junii
 Anni MDCCLXXII.
 Horis ante meridiem consveticis.

A B O Æ,
 Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

HYPOMN. XIII.

Inter celebratissimos Finlandiæ Episcopos merito refer-
 tur D. Doct. *HEMMINGUS*, qui primum fuit Cano-
 cus Upsaliensis & deinde Aboënsis, ac tandem una-
 nimi Canonicorum consensu electus est Episcopus Abo-
 ënsis; id quod in Chronico sæpius nominato *JUSTE-
 NI* dicitur *Divina inspiratione factum*. Exemplar, quod
 fecutus est L. B. de *NETTELBLADT*, habet, quod con-
 secratus fuerit in Ecclesia Parochiani Holmenfi (*a*); re-
 ctius autem exemplar Bibliothecæ nostræ simpliciter di-
 cit, inaugurationem factam fuisse in Ecclesia Stockhol-
 menfi. Fuit vero *HEMMINGUS* Episcoporum Aboënsium
 primus, qui Alandiam suæ Diocesi adjecit, sicut
 ex *MESSENIO* colligere licet (*b*). Papicolæ referunt,
 Præsulem hunc adeo sanctum fuisse, ut Divina revela-
 tione gavisus fuerit cum alias, tum imprimis circa nati-
 vitatem *B. BRIGITTÆ*; tunc enim vidit nubem luci-
 dam, & in medio nubis virginem sedentem atque li-
 brum explicatum manu tenentem, & hæc simul prolo-
 quentem audivit: *Nata est BIRGERO filia, cujus adm-
 rabili voce mundus universus personabit* (*c*). Episcopus
 hic consecravit cœmeterium Ecclesiæ Tornoënsis. An
 vero hoc ipsum fecerit nomine Archi Episcopi Upsalien-
 sis *HEMMINGI*; an vero Diocesis Aboënsis hac tem-
 pestate subpolares istas Ecclesias ambitu suo complexa
 fuerit, alii dispiciant. De cætero in partibus muneris
 obeundis adeo rigidus fuit Præsul hic Aboënsis, ut ni-
 mio suo rigore multos adegerit parochiales ex sua Dioc-
 cesi in alias sese conferre (*d*). Plurimis autem in Eccle-
 siam Aboënsē meritis inclaruit; nam & Præpositarum
 Abo-

Aboënsē instituit, quæ ejus fuit dignationis, ut Præpositi Aboënses, honore & prærogativis *Comitum Palatinorum* aliquamdiu gavisi fuerint (e), & muneribus variis illam auxit; quorum refertur pedum Episcopale, quod in Sacratio Templi Cathedralis Aboënsis adhuc servatur. Insuper Præposituræ multa subjecit prædia, quæ enumerantur *Cairis* (non Korois), *Medelby*, *Jånisfari*, *Forsby* &c. uti eadem nominat MS:tum Bibliothecæ nostræ. Præcipua autem causâ, propter quam Apotheosin Pontificiam meruit, fuisse videtur illa animi obstinatio, qua Regi MAGNO, SMEK cognominato, denarium S. Petri sibi & Regno vindicanti, acerrime restitit (g); quam ob causâ in carcerem fuit conjectus (h), cujus squalorem bis sustinuisse legitur (i). Idem quantum a Rege MAGNO fuit averfus, tantum favit quoque filio ejus, Prîncipi ERICO, qui dux Finlandiæ fuerat creatus (k). Præterea sicut hic Præsul multas atque illustres gessit Legationes; ita quoque subscripsit Transactioni Warbergenfi de Scaniæ cessione Svethis facta a Danis An. 1343 (l). Denique non est reticendum, quod apud Præsidentem meum viderim antiquissimum scriptum, lingua Svecana exaratum, quod ceremonias Canonizationis hujus Episcopi, in Templo Aboënsi factæ, exponit; quo honore solus inter Episcopos Aboënses gravissus fuit. Dicitur etjam miraculis post fata inclaruisse, sed quæ vix fidem inveniunt, nisi apud supersticiosam & nugis deditam plebeculam (m).

(a) Vid. *ejusd. Biblioth. Svecb. Tom. I. p. 70.* (b) Vid. *Scandiæ Illustr. Tom. III. p. 10. & Chron. Finlandiæ pag. 15.* (c) Vid. *HEMMINGII vitam in WASTOVII vit. aquilon. p. 89.* (d) Vid. *MESSENI Chron. Finland. p. 16.* (e) Confr. *DALINI Hist. Svec. Tom. II. p. 700.* (f) Vid. *MESSENI Libr. & pag. cit.* (g) Vid. *MES-*

SENII Scand. Illustr. Tom. XII. p. 189. WASTOVIUS etiam celebrat *HEMMINGUM* propter zelum, Regibus & potestatibus Sæcularibus resistendi. (b) Vid. *MESSENI Chron. cit. p. 15. & 16.* (i) Vid. *MESSENI Scand. Illustr. Tom. III. p. 70.* (k) Vid. *P. CLAUSSENS Nordiska Konga Krønika p. 841.* (l) Vid. *LUNDII Not. ad AGAPËTI Litteras p. 14.* (m) Vid. *OERNHJELMI Histor. Ecclesiast. Sv. p. 71. & seqq.*

HYPOMN. XIV.

De *JOHANNE Petri*, Episcopo Aboënsi, memoriæ prodit *WASTOVIUS*, quod ex nobilissima familia *Stubb* seu *Stubbe* (a) ortus fuerit (b). Sicut duplex imprimis olim via fuit ad supremos perveniendi in civitatibus honores, vel per Heroica in bello facinora vel per eruditionem & pacata in Ecclesiam officia, Præsul hic posteriorem, ut suo ingenio convenientissimam, elegit. Quamobrem etiam ad Academiam Parisiensem, omnium per Europam tunc temporis celebratissimam, sese contulit, ibique litterarum cultura adeo inclaruit, ut Rector Academiæ Parisiensis tandem fuerit electus. Sicut enim de Danis memoriæ prodit *PONTOPPIDANUS* (c), quod seminaria litteraria Parisiis quondam habuerint; ita quoque de Svecis Fennisque passim testantur Historici, quod ad eam altitudinem studiorum gentis nostræ alumni adscenderint, ut Magistratum etiam Academicum ibi gesserint. Quocirca non erit reticendum, quod Episcopus Scarenfis, *BRYNOLPHUS*, duodecim alumnos, ex Scandia ortos, Parisiis studiorum gratia suis sumptibus aluerit, eisque non domum modo propriam usui isti consecratam voluerit, sed & ipsos studiosos certis vivendi legibus adstrinxerit. Inter alias enim ipsam præcepisse novimus, ne alumni sui canes & aves alerent, siquidem isto remissio-

missionis ludicro juvenes sperato studiorum fructu sapius defraudarentur, Huic Episcopo tribuit quidem MESSENIUS, quod sepulcrum B. HENRICI magnifico decoravevit cœnotaphio, ænea lamina eleganter instrato (d). Si vero illam cupream & affabre elaboratam intelligat laminam, quæ hodie superest, fallitur omnino; quum certum sit, quod hanc conficiendam curaverit OLAVUS MAGNI TAVAST, cujus propterea insigne gentilitium in eadem comparet. Adde denique, quod MS:tum Bibliothecæ nostræ nominet Capitaneum illum arcis Wiburgensis, quem excommunicasse dicitur Episcopus hic, SIMEONEM Haquini.

(a) Hæc quoque familia, ut nonnullis placet, subinde dicta fuit *Gren*, vid. Nobil. DALINI *Histor. Svec. Tom. II. p. 700.* (b) Vid. VASTOVII *Vit. Aquil. p. 65.* (c) *In libro de rebus gestis Danorum extra patriam Tom. I. p. 374. seq.* (d) Vid. *Scand. Illustr. Tom. X. p. 17.*

HYPOMN. XV.

Præfali jam memorato successit JOHANNES, cognominatus WESTPHAL, qui a PERINGSCHÖLDIO etiam appellatur JOHANNES *Petri* (a), cum priori tamen non confundendus (b); sicut ipse non in Germania, prout nonnulli existimant, sed Aboæ natus fuit; forte tamen ex Westphalia oriundus. Hic non solum perfecit præbendam atque Choram S. CATHARINÆ ab antecessore inceptum, sed exstruendum quoque curavit Virginum Cœnobium, quod Aboæ floruit; id quod factum est An. 1370, uti perhibet VASTOVIVS (c). A Rege Sverthiæ ALBERTO missus quidem fuit ad Magnum Rossorum Ducem Legatus, sed interea dum Novogardiæ commorabatur vitam cum morte An. 1370

commutavit (*d*). Ita alii quoque Præsules Aboënses, cum Pontificii, ut ROLFO, tum Evangelici, ut MICHAEL AGRICOLA politica negotia apud vicinam gentem curarunt. Denique observo, quod habeamus Ordinantiam quandam hujus Episcopi de cibariis, quæ Nylandi Sacerdotibus suis solvere deberent. (*e*).

(*a*) Vid. *Monument. Uplandic. Tom. II. p. 128.* (*b*) Multa priori JOHANNI tribuit H. SPEGEL in *Cbron. Episcop. p. 392*, huic Episcopo adserenda. (*c*) Vid. *VASTOVII Not. Monaster.* (*d*) Vid. *MESSENIII Scand. Illustr. Tom. X. p. 17.* qui annum hujus emortualem ponit 1384. (*e*) Vid. *LINDENBROGII collectionem diplomatum veterum p. 187.*

HYPOMN. XVI.

Pluribus a se exstructis monasteriis inclaruit Episcopus Aboënsis, BERO GREGORII BALK, a MESSENIIO BIRGERUS appellatus (*a*). Nam non solum construendum curavit Cœnobium Virginum Vestalium in Korois, sed etiam Monasterium Korlense (Kökars) in Alandia, & quidem in Parœcia Fogelö (Vulgo Fuglö) circa An. 1400 fundavit (*b*). Eidem quoque tribuit MESSENIUS foundationem Monasterii Nädendalensis ordinis BRIGITTINI eodem circiter anno (*c*). Forte etiam contulit sÿmboiam ad exstruendum cœnobium Mariendalense ejusdem ordinis prope Revaliam, quippe quod eodem ferme tempore factum legitur. Præterea *Sacrum Auroræ*, seu Missa sub primam dicenda auroram ab Episcopo hoc Aboæ instituitur (*d*); ad quam sustentandam concessa fuit parœcia Lycke (*e*), uti habet exemplar L. B. de NETTELBLADT, sed rectius parœcia Pijkis, uti in MS:to Bibliothecæ nostræ legimus. Addo denique quod

quod Præful hic An. 1396 subscripserit una cum cæteris Regni Purpuratis, Clericis & Laicis, transactioni inter Svecos & Principes Imperii, MARGARETAM atque ERICUM.

(a) Vid. *Ejusd. Scand. Illustr. Tom. X. p. 18.* (b) Vid. *VASTOVII Notit. Monaster.* (c) Vid. *MESSENI Libr. & loc. cit.* (d) Vid. *MESSENI Libr. & loc. cit.* (e) In Dissert. de Bjorneburgo dicitur quod per Lycke intelligatur *Ufsby*; cui opinioni occasionem præbuisse videtur *Lyckeskår*, prædium urbi in eadem parochia vicinum: sed quæ sententia minus videtur probabilis. Quocirca observo, quod Missa illius fundatio facta sit in Ecclesia Aboënsi per Dominum ERICUM Regem & MARGARETHAM Valdemari Danici filiam, & quod principes contulerint CCC marcas argenti puri ad perficiendum opus An. 1392, uti habet Registerium Aboënsis. Dicebatur autem hæc Missa *Fro-Messa* in Chronico Regis HAGEN HAGENSSONS. Adde *MESSENI Chronicon Episcoporum Lincopensium. p. 89.*

HYPOMN. XVII.

De Episcopo Aboënsi MAGNO OLAVI TAVAST plura memoratu digna occurrunt. Et primo quidem quod ad genus ejus adinet, omnes quidem in eo conveniunt, ipsam nobili stemmate ortum fuisse; de familia autem dissentiant, nonnullis ex Nobilissima gente TAVAST, aliis ex STÅLARM originem ejus repetentibus. Sed hæc opiniones facile conciliari possunt, siquidem utraque familia eundem generis sui auctorem agnoscat, deinceps in duas lineas divisa (a). Propius tamen ad veritatem accedunt, qui Præfulem hunc ex Nobilissima gente STÅLARM suos repetere natales existimant, id quod

quod cum alia ostendunt (*b*), tum imprimis colligitur ex Sepulcro B. HENRICI in Templo Noufensi, quod restaurandum curavit hic Episcopus, nam in medio aris sepulchralis ab uno effigiei Henriciani latere Crux, ab altero autem brachium aere obductum comparet (*c*), quod STALARMIORUM insigne est gentilitium. Communiter autem nuncupatur TAVAST, quod in villa parochiæ Wirmoënsis, quæ modo *Alasjoki* modo *Tavastilla* dicitur, natus fuerit (*d*). Tanta etiam dexteritate atque integritate muneri sibi demandato præfuit, ut neque B. HENRICO, neque B. HEMMINGO cedere videatur; ille enim ferro & igne Religionem Majoribus nostris obtrusit; iste quicquid unquam potuit suæ ditionis facere studuit; contra autem MAGNUS, quicquid possedit, habuit autem amplissimas possessiones (*e*), in Ecclesiæ splendorum & pauperum solatium contulit (*f*). Ejus quoque tempore multa Finlandiæ Tempa, imprimis *Pargas*, *Sagu* &c. coloribus illustrata & imaginibus Pontificum, Episcoporum, aliorumque ornata fuerunt. Præcipue autem in Ecclesiam Aboënsensem tanta munera, tantasque congestit opes, ut incertum omnino sit, utrum magnificentia thesaurorum, an Majestas Religionis plus heic admirationis tunc habuerit. Inter alia vero celebratur Præsul hic, quod Templo nostro donaverit *Monstrantiam* Argenteam exquisiti artificii auro obductam, quæ adhuc in templi Sacratio superest (*g*). Appellabatur autem Monstrantia arcula, in qua hostiæ sacratæ condebantur. Missa Auroræ pridem instituta sub hoc Præsule continuata fuit, qui etiam necessarias impensas huic contulit negotio; fuit quoque illa, uti videtur ejusdem indolis atque ea, quam instituerat Episcopus Lincopensis, HENRICUS *Thome* (*b*). Quanta inter Proceres sui ordinis fuerit dignitate, vel exinde colligitur, quod huic Præsuli & Episcopo Wexionensi ÆSCHILLO commissa fuerit cura,

cura, inquirendi de vita & meritis B. BRYNOLPHI, Episcopi Scarenfis; attamen quamvis MAGNUS impense faveret BRYNOLPHO, hic tamen non prius, quam An. 1498 consensu Pontificis Romani ALEXANDRI VI sanctorum numero fuit adscriptus (i). Plurimum quoque hic Præful gratia valuit apud Svethiæ Regem ERICUM POMERANUM, qui non solum ipsi concessit prædium Tockela in Parochia Wirmoënsi, ipsum appellitans dilectum suum Clericum; sed etjam eo rem perduxit, ut Finlandia, Rege annuente, duos acceperit Legisferos (k). Perhibet quidem Chronicon JUSTENI, quod Finlandia ante hujus Episcopi tempora nullum habuerit votum in electione Regis Svethiæ, quod vero tunc impetrasse dicuntur nostrates; attamen melioris notæ Historici docent, quod Legisfer Finlandiæ jus suffragii in Comitibus Regni An. 1362 obtinuerit (l). Vi Legis Christophoriænæ hic Episcopus fuit primus, qui una cum Drotzeto Regni vel alio Consiliario fidem protectionis nomine Regis civibus juratam dedit; quemadmodum etjam civium sacramentum subjectionis Regi recepit (m). Nec illud plane erit reticendum, quod hujus Episcopi soror fuerit LUCIA, quæ nupta erat HENRICO CLAUDII DJEKN, Legisfero Finlandiæ, illique persuaserit hic Ephorus, ut prædium suum Nådendalensibus Monialibus cederet (n). Vixit ipsa adhuc An. 1490, quo Regni Svethici Gubernator STENOSTURE prædium Saustilaemisæ dicitur a LUCIA, HENRICI Claussonii Vidua (o). Adde denique, quod hic Præful ita sese gesserit, ut nihil ipsi objiciant inimici præter honestum crimen, quod DEO & Regi fidus fuerit.

(a) Vid. *Nob. STJERNMANNI Matrikel öfver Svea Rikes Adel* p. 234. (b) Vid. *Differt. Cl. I. ESCHOLINI Positiones Historico Politicas e Chronico Episcoporum Justeni*

Renii continentem p. 10. & 11. (c) Vid. *PERINGSKJÖLDII Monumenta Uplandica*, ubi delineatio habetur hujus antiquitatis cimelii. (d) Vid. *Rev. RHYZELII Episcoposcopiæ Tom. I. p. 234.* (e) Hoc vel inde colligitur, quod *ERICUS OLAI in Histor. Svec. p. 350.* Magno nostro in laudem tribuat, quod *OLAVO TRÖGDIO*, Archi-Episcopo Upsalienti nuncupato, commodato dederit C. nobulos Anglicanos. (f) Vid. *MESSENI Chronicon Episcop. p. 109. 110.* (g) Vid. *JUSTENI Chronicon apud NETTELBLADT Libr. cit. p. 72.* Monstrantiam Upsalensem egregie describit *SCHEFFERUS in Upsal. &c. p. 187.* (h) Vid. *Rev. H. SPEGEL Chronicon Episcop. p. 213.* (i) Vid. *Rev. E. BENZELII annotationes in VASTOVII vitam aquiloniam p. 64.* (k) Vid. *Nob. DALINI Histor. Svec. Tom. II. p. 659.* (l) Vid. *L. B. de NETTELBLADT Dissert. de formulis regiminis in Svecia p. 82.* & ab ipso citatum *PERINGSKJÖLDIUM.* (m) Vid. *Leg. Antiq. Konga-Balken Cap. 6.* (n) Vid. *MESSENI Scand. Illustr. Tom. X. p. 19.* (o) Hoc constat ex actis Nädendalensibus in archivo antiquitatum Regni ad annum modo nominatum.

HYPOMN. XVIII.

Sicut animadversionum harum non is est finis, ut singula a Rev. Episcopo JUSTEN in suo Chronico omnia momenta ad unguem exhibeamus, quippe in multis ita actum ageremus, sed ut ea potissimum adferamus, quæ minus obvia vel emendanda vel addenda sint; ita etiam de inclyto Præsule Aboënsi OLAVO HENRICI pauca tantum impræsentiarum sunt monenda. Siquidem hic ipse ex unanimi Historicorum consensu fuerit Antecessoris sui Nepos ex sorore, quam hic unicam habuisse legitur; Parentibus Legifero Finlandiæ HENRICO CLAUDII DJEKN & LUCIA STÅLARM fuit natus. Avunculi premens vestigia in exteris Academiis, imprimis in Pari-

Parisiensi, cujus etiam Rectorem (a), antequam hinc discederet, egit, fuit commoratus, An. 1457 Episcopus hic una cum Regni Archi-Episcopo cæterisque Præsulibus indulgentias quadraginta dierum singulis concessit, qui statis diebus festis inviserent Sacellum B. GEOR-
GII, quod Upsaliæ erat, quique simul orarent, munera offerrent & circum circa cœmetrium euntes, orarent pro illis, qui ibidem essent sepulti.

(a) Munus Rectoratus, quod in exteriis Academiis subinde gesserunt Juvenes, ab Aquilone venientes, sparta tantummodo honoraria fuisse videtur, quo inani fere titulo honorabantur, qui ad eruditam mercaturam peregre fuerant profecti. Quare etiam Nepoti MAGNI TA-
VAST, præsulis locupletissimi, liberalitatem minus providam non alio magis obvio & minoris pretii munere compensatum ire potuerunt Patres Academiae Parisiensis.

HYPOMN. XIX.

Sicut Daumviri jam memorati; ita etiam Episcopus Aboensis CONRADUS BITZ nobili stemmate ortus fuit, Patre natus Domino HENRICO BITZ, qui Præfectus fuit arcis Aboensis. Quocirca notandum, quod *Bitz* vel *Besse*, cujus familiae insigne gentilium erat *Caper Saliens*, dialecto Sveco-Nylandica *arietem* denotet; improprie autem virum, animi & corporis vigore præcellentem. Atque inde factum esse existimant nonnulli, quod in antiquis familiae hujus insignibus geminum cornu plerumque emineat, nimirum, ut significarent, tantum virtute antistare cæteros cives illum, cujus insignia essent, quantum dux gregis, ipse caper, gregalibus antecelleret. Diverso admodum a MAGNO TAVAST hic erat animo, quippe qui, uti perhibet LOCCENIUS, Regi CAROLO CANUTI infensissimus, Archi-Episcopo autem Upsaliensi addictissimus fuerit (a). Illius etiam lu-

culentissimum habemus documentum, quod quum hic Rex Svethiæ, imperio renuntiare coactus, in sustentationem familiæ suæ inter alia obtinuisset ditionem Raseburgensem, Episcopus tamen CONRADUS obstitit, quominus Rex CAROLUS ad fruitionem jurium suorum perveniret; quare etjam hic Aboæ commorari cogebatur (b). An. 1477 Strengnesiæ una cum cæteris Svethiæ Episcopis litteras indulgentiales subscripsit, in eorum gratiam exhibitas, qui manus benignas & liberales Ecclesiæ S. Trinitatis, quæ Upsaliæ est, conferrent (c). Dicitur quoque templa lapidea per Diocesin Aboënsis exstruenda curasse, quo in numero fuisse videtur Templum Saguense, quippe in quo Sella Episcopalis calato opere, ejusque gentilitio insigni condecorata cernitur. Denique Episcopus hic Urbibus Finlandiæ, speciatim Raumoënsi, varia privilegia pro ea, qua emiuit, auctoritate concessit.

(a) Vid. *Ejusd. Hist. Svec. p. 155.* (b) Vid. *Collegium MS:tum Hist. Svec. Cel. Prof. TÖRNERI.* (c) Vid. *PERINGSKJÖLDII Monument. Upland. p. 13.*

HYPOMN. XX.

Quod Episcopus Aboënsis, MAGNUS NICOLAI *de Serkiälax* nobili genere orrus fuerit, extra dubitationis aleam est positum, sed in eo definiendo discrepant Auctores, quum alii ex familia CARPLAN (a), alii ex familia STJERNKORSS natales ipsius reperant (b); sed quam controversiam in medio relinquimus; observantes solummodo, ipsum quoad genus maternum descendisse ex Nobilissima familia TAVAST. Mater enim ejus erat ELIN TAVAST, cujus Patrus fuit Episcopus MAGNUS OLAI TAVAST. Episcopum autem MAGNUM NICOLAI An. 1498 convictum seu mensam Communem Aboæ Canonicis suis constituisse testatur MESSENIUS (c), qui etjam perhibet, quod exhumatio, translatio

latio & honoratio B. HEMMINGI An. 1496 a Pontifice Romano ALEXANDRO imperata sub hoc Præsule An. 1499 magna cum pompa Aboæ primum celebrarentur (d); qui solemnis actus fuit diversus ab ejus canonizatione facta demum An. 1514.

(a) Vid. Mag. G. HALLENI *Dissert. de Territorii Wirmoënsis Memorabilibus* p. 72. & 73. (b) Vid. *Nobil. STJERNMANNI Historiam Episcopi PETRI NIGRI* p. 87. (c) Vid. *Ejusd. Sccond. Illustr. Tom. X. p. 22.* (d) Vid. *Libr. & p. citat.*

HYPOMN. XXI.

MAGNO jam memorato successit in Episcopatum Aboënsē LAURENTIUS MICHAELIS SUURPÅ seu STORHUFVUD, qui an nobili etjam stemmate ortus fuerit, alii dispiciant. De hoc perhibent nonnulli, quod ipsius tempore Diœcesis Aboënsis suo ambitu complexa fuerit insulam maris Baltici Ôlandiam, cui opinioni occasionem præbuisse videntur antiqua scripta, in quibus legimus, quod visitationem instituerit in insula Ôlandia, & quod inde reversus, apoplexia correptus in insula Hyndskjâr (a) An. 1507 obiit (b). Insuper vero hoc inde comprobant, quod Rex CAROLUS CANUTI facies imperii CHRISTOPHORO BAVARO traditurus ab Ordinibus Regni in præmium fidei ac laborum obtinuerit Ducatum Finlandiæ una cum memorata insula (c). Attamen quum Rex hic sibi parum propensum inveni-
ret ordinem Ecclesiasticum, vix verosimile est, quod ipse vicissim commoda hujus prorogaverit; certe ampliorem non fecit Diœcesin Aboënsē in gratiam Laurentii, quum Rex hic mortuus esset, antequam SuurpÅ pedum Episcopale obtinisset. Per Ôlandiam igitur intelligitur Ôlandia vel Ålandia.

(a) *Hyndskjâr* olim dicta fuit insula illa, quæ maritimo itinere Holmiam contendentibus ad dextram præ-

tereunda est; hodieque dicitur *Jungfruskjär*. Hoc inde constat, quod in tabulis publica auctoritate ante ducentos circiter annos consignatis, *Hyndskjär* rustico prædio Hyppis, appendicis loco adjudicetur. (b) Vid. *ZUSTENII Chron. apud NETTELBLADT p. 79.* (c) Vid. *Cel. TÖRNERI Colleg. Hist. Svec. MS.tum.*

HYPOMN. XXII.

KURCKIA Gens in duas familias distributa pridem fuit: vetustior cum Episcopo Aboënsi ARVIDO KURCK exspiravit; recentioris autem auctor & stator fuit AXEL JÖNSSON KURCK, Episcopi memorati ex soroře nepos, qui GUSTAVO I. ad Gubernacula Regni Svethiæ sedente fuit militiæ Fennicæ Præfectus Generalis (a). Originem illustris hujus Familiæ repetunt Rever. H. SPÉGEL (b) & A. RHYZELIUS (c) ex Borussia aut Lithuania, sed Nob. STJERNMAN (d) ex Smolandia. Quicquid sit, verum est, & quod KURCK lingua Fennica significet *Gruem*, & quod Familia hæc in Magno Ducatu Finlandiæ inde ab antiquissimis temporibus plura habuerit prædia gentilitia. Erat sub Episcopatu KURCKII arcis Aboënsis Præfectus THOMAS, quem in insidias artificioso stratagemate pellexit ERICUS FLEMMING, Regis GUSTAVI I. Thalassiarca, SEVERINI Danici crudelitatem & damna Aboæ illata pari referens (e). Unicam tantummodo heic annecto observationem occasione hujus Episcopi, qui ultimus fuit eorum qui in Finlandia Religioni Pontificiæ erant addicti, scilicet quod omnes Svethiæ Præsules Pontificios tyrannis, quæ isthac tempestate per Scandinaviam debacchabatur, Regi Regnoque submoverit, & quasi quoddam diluvium absumferit.

(a) Vid. *STJERNMANNI Matric. Nobilit. Svecan. p. 72.*
 (b) Vid. *Ejusd. Chron. Episc. p. 399.* (c) Vid. *Ejusd. Episcop. T. I. p. 340.* (d) Vid. *libr. & loc. modo cit.* (e) Vid. *LOCCE-
 NII Hist. Svec. p. 215.*

HYPOMN. XXIII.

Antiqua valde fuit Nobilissima familia, ex qua ortus fuit primus Evangelicæ Religionis per Finlandiam Episcopus MARTINUS SKYTTE, jam enim An. 1350 circiter floruit GERHARDUS SKYTTE, Advocatus Regis Aboënsis. Verisimile etiam est, MARTINI Patrem, JEPPE Petri Filium de Porckala a JUSTENO Legiferi nomine insignitum, reapse arcis Præfectum fuisse, & insimul regionis Governatorem. Id quod tanto certius nobis videtur, quanto magis de Legiferis Fennia Meridionalis constat, quod Legiferi non Tavastenses, sed Meridionalis Fennia nuncupentur in plurimis priorum temporum documentis. Et sub nomine isto, puta advocati seu *Ståthållare* D: num JONS SKYTTE jam olim inclaruisse constat (a). GUSTAVO I. regnante, adeoque sub hoc Episcopo agitatum fuisse Consilium in Senatu Regni constituendi Diocesis Wiburgensem, immo actu quoque ab Aboënsi distinctam fuisse testatur GYLLENSTOLPE (b); sed qui simul observat, illam Constitutionem demum sub Rege glor. memor. GUSTAVO ADOLPHO executioni datam fuisse. De cætero Præsul hic Aboënsis Regi GUSTAVO adeo fuit acceptus, ut ipse una cum Episcopo Scarenfi MAGNO *Haraldi* fuerit electus, qui coronationem Regis perageret (c). Immo ab eodem Rege ad Archi-Episcopatum Upsaliensem vocatus, honorem istum recusavit (d); quare LAURENTIO Petri Nericio idem postea collatus, satis habens MARTINUS, quod Archi-Episcopum hunc æmulari potuerit liberali in litteris bonorum Episcopaliū dispensatione (d). Illo sedente conflagravit universa Urbs Aboënsis (e).

(a) Vid. *Nob. STJERNMANNI Matric. cit. p. 242.* (b) Vid. *Ejusd. Politicam p. 262.* (c) Vid. *Rev. H. SPEGEL Chron. Episc. p. 294.* (d) Vid. *MESSENII Scand. Illustr. Tom. X. p. 25. & RHYZELII libr. cit. p. 344. sed Cl. HALLMAN in Biographia duorum Phæse hunc inter Candidatos Archi-Episcopatus non nominat.* (e) Vid. *TÉGELS Histor. Regis GUST. I. p. 269.*

HYPOMN. XXIV.

Mag. MICHAEL AGRICOLA, Episcopus Aboënsis, ab ipso LUTHERO in Academia Wittenbergensi institutus, tantos in litteris fecit progressus, ut hic purioris Religionis restaurator Regi Svethiæ GUSTAVO eximium in modum hunc juvenem commendaverit, sed qui muneri Episcopali admotus fastum Pontificium non sine justa multarum indignatione adfectavit. Quamvis autem GUSTAVO Regi & Evangelicæ Religionis vindici displicuerit Episcopi AGRICOLÆ rituale Pontificium; laudatur tamen hic Præsul ab Historiæ Liturgicæ compilato-

re, ejusque post mortem præsentia, Zelusque in submovendis motibus Liturgicis desideratur (a). Immo Episcopus hic non indignus visus fuit BÆLIO, quem in Dictionario Historico Critico celebraret (b). Wi-burgensem Episcopum nominat ipsum ARCTOPOLITANUS (c), sed perperam; quippe ibi corporis sui exuviis saltem in reditu a legatione Moseovitica requiem invenit. Missus ipse fuit a Rege GUSTAVO in Lapponiam, ut illi genti notitiam Numinis instillaret, & Sacerdotes idoneos præficeret (d). Leges Maritimas Visbyenses in linguam Latinam transtulit (e). Mortuus est An. 1557 d. 9 April. in pago Eurapâ & villa Senuaste (f). Insigne nobilitatis ejus præferebat duas Candelas cereas, in planitie carulea decussatim positas, inter quas eminebat stella sex radiorum coloris albi. Clypeum vero superne eminentem fertum florem distinguebat.

(a) Vid. *Lib. B. de NETTELBLADT Bibl. Sv. T. IV. p. 1.* Liturgie Sveth. per Livoniam disseminandæ fautorem nuncupat *MESSENIUS T. X. p. 33.* (b) Vid. *MOLLERI Hypomn. p. 471.* (c) *In diff. de Origine & Religione Fennorum.* (d) Vid. *Rev. H. SPÉGELS Hist. Eccl. Part. I. p. 43.* (e) Vid. *HADORFII Præfat. ad Leges Nauticas Gothlandiæ.* (f) Vid. *TEGELS Histor. cit. Part. II. p. 357.*

HYPOMN. XXV.

De Magistro PETRO FOLLINGO, Episcopo Aboënsi, in Catalogo Scholæ Lincopensis sequens reperitur annotatio: M. PETRUS Nilsson FOLLINGUS, vir eruditus & gravis post M. Nicolaum Scholam hanc tenuit per 13 Annos. Et quia per probam vitam & doctrinam utilem Regi atque magnatibus apprime placuit, ad Episcopatum Aboënsē promovebatur An. MDLVIII mense Februar. Obtinuisse Episcopatum hunc opera cum aliorum, tum Quæstoris THOMÆ dicitur, si quis autem hunc pro homine sæculari haberet, erraret omnino. Persona Ecclesiastica fuit, more pristino ævi Pontificii etjammum retento. Sicut enim Papismo durante, militaria munera & sæcularia tantum non omnia a Clericis administrabantur; ita Regis GUSTAVI Quæstros, Secretarios & Camerarios simul Ecclesiarum Curatores fuisse legimus (a). Tandem de solio Episcopali dejectus fuit FOLLINGUS; cujus sinistra fati causam interferunt nonnulli, quod Regi ERICO in visus fuerit, siquidem Duci Finlandiæ favere, crederetur (b); rectius autem dicitur, quod neutri Principum acceptus fuerit (c). Sed hic vela dissertationis nostræ contrahere cogimur.

(a) Vid. *DIKMANNI Antiquit. Eccl. p. 267.* (b) Vid. *MESSENIJ Scand. illustr. T. X. p. 29.* (c) *Vio. Nob. STJERNMANNI samling af Riksdags Beslut T. I. p. 351.*

S. D. G.

